



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Art. II. An, & quando scandalum passivum permitti possit, aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

esse *Lessius* si cum *Cajo* v.g. potites ea intentione, ut ipse consumptis pecuniis furetur. *v. Less. c. 9. d. 2. n. 113.*

V. Non censetur dare scandalum, qui licet publice peccet, facit id tamen coram iis, qui vel sunt ita viles, vel infames aut improbi, ut nemo moveatur ad peccatum; vel qui sunt ita probi, v.g. si quis fornicetur coram aliis, qui parati sunt idem facere, nec ejus exemplo moventur; vel si coram mansuetis quis contendat, rixetur, vel alium cædat. *Sanch. 1. mor. c. 6. n. 6.*

VI. Non ideo factum aliquod est scandalum, quia alius incipit de tali homine malè suspicari, aut sentire; quia hic non peccat, si ob sufficientia indicia suspicetur. Secus tamen est, si incipiat malè sentire de fide Catholica, Clero, Ordine Religioso, vel minùs ad pietatem affici: Unde patet facilius dari scandalum ab iis, qui sunt in magna auctoritate, vel pietatis existimatione, quàm ab aliis. *Côn. di. 32. n. 33.*

ARTICULUS II.

An, & quando scandalum passivum permitti possit, aut ob illud vitandum, aliquid omitti debeat?

Resp. I. Permitti non potest absque necessitate, vel utilitate propria vel aliena. Ratio est, quia tenemur ex Charitate impedire peccata proximi, si facile possimus. *Lay. c. 13. ex communi.* Unde resolvitur hic Casus.

Absq; causa non licet petere mutuum ab usurario, vel ab infideli juramentum per falsos Deos, à con-

à concubinario administrationem Sacramenti, vel ut celebret: cum enim absq; peccato id non sit facturus, cooperareris ejus peccato. *Suar. Sanct. Trull. l. 1. c. 6. d. 5. n. 15.*

Resp. II. Ex causa necessitatis, vel utilitatis potest permitti. Patet in dicto casu, qui simpliciter sine peccato fieri potest; ideoq; licet talia petere ex rationabili causa, etsi alter ex sua malitia sit peccaturus. Requiritur autem major necessitas, ut permittatur scandalum pusillorum, quàm Pharisæicum. Item major, si plures sint scandalizandi, si timeatur peccatum grave, & deniq; si certò prævideatur, quàm aliàs, *Lay. l. c. Bon. d. 2. q. 4. p. 2.*

Resp. III. Debet permitti, si alioqui propria salus periclitaretur, vel aliis, præsertim communitati, grave damnum immineret. Unde bona spiritualia necessaria ad salutem, nec debet, nec potest quisquam demittere ob cujusquam scandalum. *Fill. N. 28. c. 6.*

Resp. IV. Bona spiritualia, (& secundum *Loricam* apud *Dian. p. 5. t. 7. R. 24.* etiam temporalia) non necessaria ad salutem, non tenetur quis omittere, vel differre, ob scandalum Pharisæicum, juxta illud *Matth. 15. Sinite illos, &c.* nisi tamen ex dilatione fructus speraretur. Facilius verò ac sapius talia bona differenda, vel etiam omittenda sunt, ob scandalum pusillorum: v.g. ingressus religionis debet differri ob scandalum parentis, si consensus illius brevi speretur. *Laym. l. c.*

Resp. V. Ad vitandum grave scandalum pusillorum, quædam præcepta impleri non debent; nisi tamen omissio esset magis damnosa omittendi,

v.

v. *Laym. l. 2. t. 3. c. 13.* Ratio hujus est, quia tunc concurrente duplici præcepto, scilicet naturali de cavendo scandolo, & positivo, majus & fortius est naturale. *Ex dictis resolvuntur casus.*

I. Prælati Ecclesiastici non tenentur, (imò nec possunt) ea, quæ ad bona Ecclesiæ conservanda sunt necessaria, v. g. lites, &c. omittere ad vitanda scandala Phariſaica, imò etiam pusillorum; etsi his prius reddi debeat ratio rectitudinis, *Dian. p. 5. t. 7. R. 24. ex D. Thom. &c.*

II. Si fœmina utatur veste virili, vel contrà, tantum ex levitate, sine prava intentione, periculo scandali, & libidinis, veniale tantum erit, aliàs mortale; nullum verò, si ex necessitate, *Dian. p. 5. t. 7. R. 32. ex D. Thom. Sylv. &c.*

III. Peccatum, ex quo Confessarium in confessione (ex infirmitate tamen) graviter scandalizandum nosti, debes reticere, *Lay. l. c. ex Navar. &c.*

IV. Uxor semel vel iterum debet omittere jejunium, ex quo maritus graviter offendetur, & orietur discordia. *Ibidem.*

V. Si ituro te ad sacrum die Festo, excitanda sit gravis rixa, vel cædes, non teneris ire. *Ibid.*

VI. Superior peccata subditi sæpe potest dissimulare, ad vitandas turbas; & majora mala, quæ alioqui teneretur punire.

VII. Mulier, quæ scit in se, vel in sui aspectu aliquem in particulari scandalizandum, mortaliter peccat, si data opera ei se conspiciendam offerat: adeoq; potest & debet, non tantum in publico, sed etiam sacro abstinere die festo semel aut iterum, ad peccandum illud evitandū. Dixi aliquæ in parti-

culari, quia ob timorem scandali alicujus ex communitate in genere, vel etiam plurium, abstinere nimis esset difficile, & plenum scrupulis. Dixi *semel aut iterum*, quia sæpè nimis esset grave, & durum. *Bon. San. Lay. l. c. n. 10. & alii v. Dia. p. 54. 7. R. 21. & 22.* ubi in contrarium citat aliquot Authores negantes obligationem prætermittendi rem præceptam, ad evitandū aliorum scandalum.

VIII. Mulier, quæ ex ornatu, etiam conveniente suo statui, probabiliter prævidet aliquem in particulari lapsurum mortaliter, tenetur ad breve tempus eum dimittere, aut talis conspectum fugere. Dixi *ad breve tempus*: quia ad longum, nimis illi grave foret. *v. Dian. l. c.*

IX. Si verò idem timeretur in particulari ex ornatu superfluo, vano, & inconvenienti (quem assumere vanitatis & placendi causa, ut videantur pulchræ, & procum faciliùs inveniunt, seclusis aliis, non nisi veniale est) teneretur eum omnino dimittere, etiam sub mortali: quia nullum habet jus ad illum ornatum: & ex altera parte tenetur vitare peccatum alterius, quando commodè potest *v. Sylv. v. ornat.* Alii tamen, ut *Caj. & Nav. cap. 23.* videntur docere, eam tantum teneri sub veniali, (sed minùs probabiliter, quando in particulari lapsus prævidetur, & brevi tempore abstinendum est) qui etiam cum *Az. Less. l. c. Bon.* excusant à mortali eas, quæ ex consuetudine loci, media ubera detegunt, fucò, pigmentis, alienis crinibus utuntur: dummodo non aliorum lasciviam, sed tantum majorem pulchritudinis ornatum intendant absque alio fine mortali, aut lege parti-

Particulari id sub mortali prohibente. Addunt tamen, fore grave & mortale peccatum, huiusmodi morem detegendi peccus, vel tenuiter tantum tegendi, ubi non est, introducere. *Nav. n. 19. Leß. 112. Lay. l. c. & c. v. Bon. de mat. q. 4. p. 9. n. 17.*

X. Si mulier non in particulari, sed in genere tantum, aliquos in se scandalizandos putet, modo eorum lasciviam non intendat, nec ei placeat, (licet ei placeat, quod laudetur ut formosa) non videtur teneri abstinere ab illo ornatu, etiam superfluo, sub mortali, v.g. fucando faciem, imò etiam denudando ex communi consuetudine peccus: nisi tamen denudatio, vel ornatu esset valde turpis per se, ac directe ad libidinem provocans. Ratio est, tum quia est scandalum potius acceptum, quam datum, & ornatu ille ac pulchritudo remotè tantum ad peccatum provocat, ut docet *Lay. & Bon.* tum quia nimis grave esset isti sexui, præsertim si maritum quarant, perpetuò sic abstinere: cum illa occasio sit universalis, & perpetua: nec formosiores unquam licitè irent foras, cum pulchritudo naturalis plus noceat, quam artificialis. Plura de hac re *v. Dia. 1. misc. Resp. 30. Bald. l. 3. d. 5. n. 23.* Interim foemina nudum peccus gerentem non mali intentione, etsi quidam excusent à mortali, ego tamen, inquit *Sa*, difficile absolverem. Et certum est, quòd confessario incumbat, huiusmodi ornatu dissuadere, & deterere ab eo. *v. Sa V. ornatu, & c. ll. cc.*

XI. Peccant etiam graviter, qui componunt, describunt, repræsentant, vel pingunt turpia, & ad libidinem provocantia, *Bon. San. & Fill.*

Resp.

Resp. VI. Potest aliquando permitti proximi ruina, quando is paratus est ad malum, & alter non intendit ut peccet, sed tantum non auferendo occasionem, permittit unum peccatum, ne fiant plura; ita ut permissio sit impeditiva majoris mali. *Vnde resolves.*

I. Hero ~~non~~ licet auferre occasionem furandi filiis, aut famulis, cum eos nihilominus ad furandum propensos & paratos novit, sic deprehensi puniantur, & resipiscant: tunc enim rationabiliter permittit furtum unum, ut evitentur plura. *Sanch. Laym. Bon.*

II. Probabile est, non licere talia ulterò ponere, aut iis objicere: quia positivè concurreret ad peccatum; & non tam auferret occasionem, quam poneret. *Sa. V. peccatum, & Sanch.* qui ex eadem causa docet, non licere marito dari uxori ansam adulterandi; vel adultero, ut tentet uxorem. Interim probabiliter contrarium docet *Laym. lib. 2. tr. 3. c. 13.* Quod confirmari potest exemplo Judith, quae vix aliter videtur fecisse c. 9. Cum enim sciret permissionem libidinis in Holoferne fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum; & tamen communiter censetur in hoc non peccasse. *v. Bon. d. 2 q. 4. p. 2. Palaum hic.*

ARTICULUS III.

An liceat alterius peccato materialiter cooperari?

Resp. Cooperari tantum materialiter, subministrando tantum materiam & facultatem peccandi, vel